





*Krueffel, Historia autoritatis præsidationis apud Romanos.*

1767, 2  
909  
AB

D. CAROLI ANTONII KEVFFEL  
HISTORIA  
AVCTORITATIS PRVDENTVM  
APVD ROMANOS

SECTIO I.

PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS AESTIVI

M D C C L X V I I .


PROLVSIONIS INSTAR

P R A E M I S S A



HELMSTADII

IN TYPOGRAPHEO ACADEMICO  
VIDVÆ SCHNORRIÆ





HISTORIA  
AVCTORITATIS PRVDENTVM

APVD ROMANOS

§. I.

EVISCONSULTI PRUDENTES DICTI ET  
EXISTIMATI.

Pudentia eminet inter virtutes intelle<sup>c</sup>tuales,  
quibus in vita sociali et ciuili pretium sta-  
tuitur. Qui enim ea pollet, perspecta ha-  
bet media quibus vtendum est ad finem  
consequendum, promte ea arripit, adeo-  
que aptus est ad consilium in arena capien-  
dum, ad vertendum in usus suos quae ex  
accidenti emergunt, ad alios quoque compotes consilii  
faciendos, qui suarum rerum incerti sunt. Si Ciceronem  
audimus, ut quisque maxime perspicit quid in re quaque ve-  
rissimum sit, quique et acutissime et celerrime potest et videre  
et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite  
habe-

haberi solet. de *Offic.* I, 5. Apud Romanos iuris et legum periti acutissime perspicere existimabantur, quid in re quaque verissimum esset, ideoque proprio quasi nomine Prudentes appellabantur. Q. Mucius, iuris civilis intelligentia inclitus, *prudentissimus homo* vocatur *Orat. pro Caecin.* c. 28. Iurisconsultos, qui maxima dignitatis fuerunt, enarraturus *Pompon. in Enchiridio*, partem illam inscripsit: *de successione prudentum.* Iustinianus in *Constit. Tanta*, prudentum et prudentissimorum elogio saepe vtitur. Nec tamen haec appellatio videtur esse antiquissima, et origini ICtorum coaeua. Sempronium enim, qui post Appium maxima scientiae fuit, populus Romanus graeco vocabulo *Sophum* appellauit, L. 2, §. 37. de *O. I.* Post eum L. Acilius *Sapiens* a populo appellatus est, de quo scribit cīc. in *Lael.* c. 2. Scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, quia prudens esse in iure ciuili putabatur. Et GELL. IV, 1. Veteris iuris magistri, qui sapientes appellati sunt. Fit itaque verosimile, post fundatum ius ciuale, cum iuris doctrina iurisprudentia dicta est, qui eam professi sunt, titulo prudentum decoratos, eoque simul a philosophis, qui sapientes nominabantur, discretos esse. Delectatus tamen est Vlpianus ICtis tribuere veram philosophiam, in L. 1. §. 1. D. de I. et I. ideoque eorum scientiam vocat *ciuilem sapientiam* in L. 1. §. 5. D. da extraord. cognit.

## §. II.

NOTITIA AVCTORITATIS PRUDENTVM  
VTILIS.

Gloria populi Romani, quam rebus pace belloque gestis summam sibi peperit ad omnem posteritatis memoriam, dudum excitauit plurimorum industria, ut instituta principis populi curatius inuestigarent, viisque sunt ope-

operae pretium facere, quod eorum cognitio et ob rerum grauitatem facile se commendat, et ad alia, in quibus versamur, explicanda, necessitatem habet maximam. Ad disciplinam iuris Romani intimius cognoscendam, magnum momentum haberet notitia auctoritatis prudentum, illorum enim disputatione, interpretatione, responsis, ius constitutum esse nouimus, multoque maior pars iuris elaboratissimi debetur prudentum auctoritati, quam potestati legislatoriae. Nemo itaque qui ad doctrinam iuris Romani hauriendam studium conferre decreuit, existimabit, infructuosam esse operam qua explanatur, quibus modis prudentes ius ciuale Rom. locupletauerint, et quid auctoritatis hoc in negotio eis concessum sit. Dubitabam utrum fas esset hoc argumentum aggredi, cum laudatissimus liber IAC. RAEVARDI de auctoritate prudentum ad manus non sit: sed interdum feliciter emetiuntur iter, qui sine duce se in viam dant, et aliunde mihi suppetere videbantur, quae ad scopum meum sufficerent.

## §. III.

## Q V A D R U P L E X A U C T O R I T A S P R U D E N T I V M.

Auctoritas oritur ex opinione de prudentia, ex dignitate qua quis alios antecellit, et ex potestate quae alicui commissa est, efficaciter ut vel sponte nostra, vel ex necessitate ei obtemperemus, qui in auctoritate constitutus est. Singula haec fundamenta prudentibus apud Romanos profuerunt ad auctoritatem sibi comparandam, et consideranti mihi eius amplitudinem, quadruplex distinguenda videtur prudentum auctoritas, *Civilis*, *Forensis*, *Doctrinalis* et *Authentica*, terminis posterioribus transsumis a recepta divisione interpretationis. Postremam

A 3

spe-

Speciem vocat BOEHM. in not. ad §. 8. I. de I. N. G. et C. auctoritatem authentice responsa dandi. Auctoritas Ciuilis consistebat in eo, quod principes in republica viri iurisprudentiam professi sunt. *Forensis*, quod in cauillis forensibus ad ICtorum prudentiam configiebatur. *Dicitinalis*, quod leges interpretari, et iura condere ipsis permittebatur. *Autentica*, quod ex auctoritate principis de iure respondere quibusdam concedebatur. De qualibet specie separatim agam.

## SECTIO I.

### HISTORIA

### AVCTORITATIS CIVILIS PRUDENTVM.

#### §. IV.

##### ORIGO AVCTORITATIS CIVILIS PRUDENTVM.

Auctoritas ciuilis prudentum metienda est ex prae-cellentia eorum prae aliis in republica, in eaque delineanda exponendum erit, quo publico in honore prudentes fuerint, et quam viam iuris disciplina munuerit ad rempublicam capessendam, de hac enim quaestione disputatio non iniucunda commemoranda veniet. Origo auctoritatis ciuilis prudentum arcessenda ab instituto Romuli, qui rempublicam sic ordinabat, ut illustres genere, qui patricii nominabantur, sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, rempublicam administrarent. Praeficiebat porro patricios plebeii tanquam patronos, eosque oportebat clientibus respondere de iure, lites pro

pro eis suscipere, si eis in contractibus afferretur detrimentum, et si in ius vocarentur, sustinere accusatoris impetum. DION. HAL. L. 2, p. 83 sq. Tot praerogatiis donati patricii, et auctoritatis, qua inde valebant, tuendae studiosissimi, obtentu iuris patronatus jurisprudentiam, tanquam gentilem possessionem sibi vindicabant, ius ciuile in pontificum penetralibus repositum occultabant, formulas excoigitabant, ne sine eorum opera lege posset agi, siveque plebem adigebant, ut in omnibus negotiis ad eorum prudentiam confugere necesse esset.

### §. V.

#### PROGRESSVS AVCTORITATIS CIVILIS PRUDENTVM.

Enunciatis patriciorum atque pontificum mysteriis, plebeii quidem ordinis viri antiquam patriciorum possessionem inuadebant, sed non alii quam clarissimi viri, magnoque rerum viva periti. *Iuris civilis scientiam maximi viri professi sunt*, dicitur in §. 35. de O. I. idemque confirmat c. 1. de Orat. I, 55. de scientia iuris, et qui illam profitebantur, ita verba faciens: *Sine controversia et magna est, et late patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semper fuit, et clarissimi ciues ei studio etiam hodie praefunt.* Si quis specialius haec probata cognoscere cupit, legat vitas iurisconsultorum veterum, et ubique reperiens, eosdem qui iuris scientia claruerunt, fuisse consules, praetores, censores, aediles, pontifices, planeque existimari volebat Scaeoula, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. c. 1. de Leg. II, 19. Quo latius vero se diffundebat doctrina iuris, eo maiora incrementa capiebat auctoritas prudentum, quia sapientia sua sic ut incipiebant, ut utilitatibus ciuium consulenter, qui ideo de omni-

## VIII

omnibus rebus ad eos referabant. Ad Ictos sic adibatur, non solum ut de iure ciuili ad eos, verum etiam de filia colliganda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio ad eos referretur. Haec fuit P. Crassi, haec Tib. Coruncani, haec Scipionis sapientia; ut ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur. c.c. de Orat. III, 33. Paucioribus verbis, sed neruose satis rem omnem ita complexus erat de Orat. I, 45. Est sine dubio dominus Iurisconsulti totius oraculum ciuitatis.

## §. VI.

CONTENTIO IURIS PRUDENTIAE CVM  
ELOQUENTIA DE PRINCIPATV.

Etsi autem iurisprudentia illis, qui ei praerant, plurimum honoris et auctoritatis afferebat, item tamen de principatu ei mouebat eloquentia, quod huic in statu populari maiora praemia exposita erant, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Oratores enim accedebant ad summam reipublicae, de caussis grauissimis pro rostris dicebant, accusabant, defendebant, populi motus, indicum religiones, senatus grauitatem, quo vellet, impellebant, eorumque moderatione et priuatum plurimorum, et vniuersae reipublicae salus maxime continebatur. Hinc ait c.c. in Orat. c. 41. Quis unquam dubitauit, quin in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis pacatisque rebus, secundas iuris scientia? Accedebat oratoriae facultas, nam comprehendenda era scientia rerum plurimarum, motus animalium omnes pernoscendi, quia vis dicendi in eorum qui audiebant, mentibus aut sedandis aut excitandis expressimenda erat, actio ipsa motu corporis, gestu, vultu, vocis conformatio ac varietate moderanda erat. Plura requisita ac cumulata c.c. de Orat. I, 5. Fiebat hinc, ut multi,

ti, desperata facultate agendi, ad discendum ius declinarent, ut ait QUINTIL. *Inst. Orat.* XII, 3. Servius Sulpicius, quo non facile quis alias plus studii ad dicendum adhibuerat, quique insignem non immerito famam tribus orationibus meruit, QUINT. X, 1. maluit in secunda arre primus esse, quam in prima secundus. cīc. in *Brut.* c. 41. Tubero, postquam Q. Ligarium accusauit, nec obtinuit apud Caesarem, transiit a caussis agendis ad ius ciuile. L. 2, §. 46. de O. I. Facete cīc. pro *Muraen.* c. 13. Ut aiunt in graecis artificibus eos aulaeos esse, qui citbaroedi fieri non potuerint, sic nonnullos viderunt, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Si res in se spe-  
ctetur, iurisprudentia et eloquentia erant artes finitimae, et eiusdem sociae dignitatis. Oratoribus enim iuris ciuilis cognitio erat necessaria, quia in rerum priuatarum caussis atque iudicis deponenda saepe oratio erat ex iure ciuili, et iurisprudentia sine eloquentia videbatur indotata et incointa. cf. de *Orat.* I, 55. Interim eloquentiae in toga dignitatis principatus datus.

### §. VII.

#### CONTENTIO DE SVFRAGATIONE IVRISPRUDENTIAE AD CONSULATVM.

Eosdem, qui iurisprudentiam professi sunt, summos in republica honores gessisse, certum est, et supra iam commemoratum, nec puto dubitatum iri, ipsam per se iuris scientiam profuisse ad honores consequendos, nam et per assiduitatem forensem, quae juris peritia carere non poterat, contendendum erat ad honores, et pars honorum polita erat in iure dicundo, et non uno loco apud Ciceronem legimus, iuris ciuilis cognitionem iis, qui ei praecessent, plurimum attulisse honoris, gratiae et dignitatis. De consulatu vero disputatum est, utrum iu-

B

ris

X. ¶

ris disciplinae momentum insit ad eum obtinendum, et de hac re ita memoriae proditum est. Seruius Sulpicius, ICTORUM sui æui coryphaeus, consulatum petierat una cum L. Muraena, militari laude antecellente, et repulsam tulerat. Ea offensus, Muraenam ambitus accusabat, et pro se allegabat, consulatum esse assiduitatis forensis, et operarum illarum quotidianarum. Cicero, Muraenam defendens contendebant, duas esse artes, quae possint locare hominem in amplissimo gradu dignitatis, unam imperatoris, alteram oratoris boni. De iure ciuili ita disserebat, ut non modo nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam affirmaret, sed etiam tam tenuem diceret esse scientiam, ut nulla ei dignitas inesse possit. Licebit sine dubio ad hanc contentionis partem trahere, quod de alia eius parte fatetur Catoni de Finib. IV, 27. Non ego tecum iam ita loquar, ut iisdem his de rebus, cum L. Muraenam te accusante defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt; aliquid etiam coronae datum. Assertioni Ciceronis opposni etiam posset, quod in §. 38 de O. I. legimus: duos Aelios tantam scientiam in profitendo habuisse, ut etiam consules fuerint: sed non satis apte id dici putat BYNCKERSH. in Praeterm. et praefert lectionem vtriusque MS. sui: et duo Aelii etiam consules fuerunt. Durauit spectata haec auctoritas prudentum, usque ad quassatam libertatem reipublicae per bella ciuilia, in illa enim confusione temporum, ut honores, ut omnis dignitatis gradus, sic scientiae iuris splendor deletus est. CIC. Offic. II, 19.

§. VIII.

AUCTORITAS CIVILIS PRUDENTVM AB AVGVSTO  
VSQVE AD HADRIANVM.

Stabilito principatu, instaurabatur prudentum auctoritas, et illis decoribus vestiebatur, quae indoli formae monar-

monarchicae conueniebant. Tunc enim dignitate eminabant, quos Caesares muneribus publicis praeficiebant, quibus familiariter vtebantur, quosque in consilio habebant suo. Si itaque probauero, iurisconsultos scientia sua hos honores meruisse, constabit inde intemerata sub principatu prudentum auctoritas ciuilis. Occurrit statim sub Augusto Ateius Capito, publici priuatique iuris peritissimus, sed usque adeo adulator, ut etiam verbum, quo usus erat Tiberius, si non esset, futurum diceret lati-  
num. s.v.e.t. de Illust. Gram. c. 22. De eo scribit TAC.  
*Ann. III, 75. CAPITO ATEIUS*, de quo memorau, *principem in ciuitate locum studiis ciuilibus asseditus. Consulatum ei acceleraverat Augustus.* Tiberio Caefare Capreas secedente, in arce comitatu eius fuit unus senator *consulatu functus, COCCÆIVS NERVA*, cui legum peritia. TAC.  
*Ann. IV, 58. Eiusdem iterum Ann. VI, 26. meminit. Coc-*  
*ceius Nerua, continuus principis, omnis diuinæ humanique*  
*iuris sciens. NERVAM filium, praetorem designatum,*  
*Nero ita extollebat, ut super triumphales in foro imagines,*  
*apud palatium quoque effigiem eius sifteret.* TAC. *Ann. XV,*  
*72. COELIO SABINO consulatum Otto destinavit, cique*  
*honori n*Vitellius* quidem victor intercessit.* ID. *Hist. I, 77.*  
Nolo transscribere, quae ex L. 2, §. 47. de O. I. peti possunt: addam tantum, *PEGASVM* non solum praefectum  
vrbi fuisse, sed etiam Consulem, §. 5. I. de fideicom. hered.  
De PRISCO IAVOLENO, quem a secta tantum designat  
Pomponius, notandum est quod scribit PLIN. L. 6, Ep.  
15: *Et omnino Priscus dubiae sanitatis; interest tamen offi-*  
*cii, adhibetur consilii, atque etiam ius ciuale publice re-*  
*spondet.* Acriter insultat Plinio ob conuicium factum G.  
A. LENICHEN in *Diff. de Prisco Iauoleno*, *I*cto incompara-  
bili, et maledicuum testem sibi ipsi contradicere staruit: sed  
non approbavit censuram viris eruditis, multo minus con-  
tume-

tumelias, quas in virum honestissimum iactauit. De honoribus Iauoleni exponitur §. II, diff. cit.

## §. IX.

AB HADRIANO VSQVB AD CONSTANTINVM M.

A temporibus Traiani redibat quasi in praecordia Caesarum cura salutis publicae, eique non rectius a se consultum iri putabant, quam si iurisconsultos in partem curarum vocarent. Traiano plane id animi fuisse creditum, ut NERATIVM PRISCVM, ICtum celeberrimum, successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus. SPART. HADR. c. 4. Artibus Plotinae imperium adeptus Hadrianus, cum iudicaret in consilio habuit, non amicos suos aut comites solum, sed iurisconsultos, et praecipue Iulium (verius Iuvencium) CELSVUM, SALVIVM IULIANVM, NERATIVM PRISCVM, aliosque, quos tamen senatus omnis probasset. l. c. cap. 18. De auctoritate Salu. Iuliani, tantum adscribam neruosam narrationem SPART. in Did. Iul. c. 1. Didio Juliano proavus fuit Saluius Julianus, bis consul, praefectus urbi, et Iuvisconsultus, quod magis eum nobilem fecit: quae verba postrema male a quibusdam ad Didium referri arbitror. Antoninus Pius usus est iurisperitus, VINIDIO VERO, SALVIO VALENTE, VOLVIO METIANO, VLPPIO MARCELLO, et IABOLENO. CAPITOL. Ant. Pio, c. 12. M. Antoninus studuit et iuri, audiens L. VOLVS. METIANVM, CAFIT. Marc. c. 2, et de eodem Divi Fratres, in L. 17. D. de iure patron. Volus. Macianus, (nam sic ab aliis scribitur) amicus nosfer. Praeterea Marcus usus est SCAEVOLA, praecipue iuris perito. CAPIT. c. II. Coryphaeus ICtorum huius aetatis, AEM. PAPINIANVS, amicissimus fuit Imperatori Seuero, et huic praecipue eterque filius a Seuero commendatus. SPART. Caracall. c. 8. Quam familiaris Caracalla fuerit ARRIVS MENANDER, ex eo intelligimus, quod in L. II.

u. §. 2. *D. de minor.* dicitur, suscep tam tutelam depone re, qui circa principem sunt occupati, ut in Consiliarii Menandri Arrii persona est indulta. Nemo vero ICtis plus tribuit quam Alexander Seuerus, de quo scribit LAMPRID. in Alex. c. 16. Non ullam constitutionem sanciuit si ne viginti iurisperitis. Ex eorum autem numero PAULVM et VLPIANVM in magno honore habuit, nam et consiliarius Alexandri, et magister scrinii Vlpianus fuisse per biebetur. I. c. cap. 26. Nunquam solum quenquam, nisi Vlpianum vidit Alexander, ib. c. 31, atque ideo summus imperator fuit, quod eius consiliis praeципue rem publicam rexit. c. 51. Ad recensum vero ICtorum, qui in consilio Alexandri fuisse perhibentur c. 68, quod attinet, dudum monuit SALMASIVS, locum esse interpolatum, quia plures eorum non paruo interuallo ante Alexandrum vixisse, certa fides est. Addendum tamen omnino EV. OTTO in Papin. c. 11, §. 7, ubi non omnia, quae Salmasius induxit, pro subdititiis et spuriis habenda, luculer ter ostendit.

### §. X.

#### A CONSTANTINO M. VSQVE AD IVSTINIANVM.

Successionem prudentum cladebat Herennius Mōdestinus, Vlpiani discipulus, extenuata tunc auctoritate ICtorum, quod inualecente vsu rescriptorum ad priuat os, causae controuerse magis auctoritate Caesarum, quam responsis prudentum dirimebantur. Quae itaque sub Constantino M. eiusque successoribus prudentibus supererat auctoritas ciuilis, consistebat in eo, quod ad splendidissima munera ciuilia et palatina gerenda, iurium periti assumebantur. Hoc vero omnino factum esse, generatim dubitari nequit, si ipsa officia praefectorum vari generis, proconsulum, praesidum, vicariorum, comitum, magistri officiorum, et qui sub eo in palatio milita-

Iurabant, consideramus, illa enim sine scientia iuris administrari non poterant: speciatim vero inde intelligimus, quod, qui codicem Theodosianum confecerunt octo viri, idem et iuris scientiae laude clarissimi, et dignitatibus Illustres ac Spectabiles fuerint. His enim eloquii decorantur a THEODOSO in Nou. I. Antiochus, cuncta sublimis ex praefecto et consule: Maximinus, ex quaestore palati: Martyrius, Comes et quaestor, Viri Illustres. Sperantius, Apollodorus, Theodorus, comites sacri Confessori: Epigenius, Comes et magister memoriae, Procopius, comes ex magistro libellorum, viri Spectabiles: iure omnibus veteribus comparandi. Iuris Iustiniane archiectos nominatim non allegabo, quia ex Corpore Iuris, quod omnium manibus tractatur, de illis constat.

## §. XI.

PRAEFFECTI PRAETORIO E PRUDENTIEBUS

LECT. I.

Auctoritas ciuilis prudentum altissime euehebatur, cum praefecti praetorio e prudentibus legerentur, praefectorum enim dignitas erat tanta, vt diceretur sceptro proxima, summum dignitatis fastigium, culmen honorum, et quae alia occurrunt praedicata. Potestas eorum ab initio erat mere militaris, praerant enim cohortibus praetorianis, principum satellitibus et custodibus. Paulatim res immutata, et togati in sedem amplissimam euesti, vt potestas enormis minus esset formidanda. M. Anton. Philos. habuit secum praefectos, quorum et auctoritate et periculo semper iura dictauit. CAPITOL. c. II. Primus ille instituisse videtur, vt praefectos praetorio haberet seum, eorumque potestatem etiam ad administrationem rerum ciuilium traduceret, et vt vice sacra iudicarent, tribueret, ad quod praestandum excellens requirebatur  
iuris

iuris scientia. Sub Commodo praetorio praefectus erat TARRVENTVS PATERNVS, Ictus, qui de re militari, cuius cura officio eius cohaerebat, libros scripsit, et trucidabatur, quod non sine eius consilio vitae Commodi insidiae stractae erant. LAMPRID. in Commod. c. 4. Sub Sulpicio Seuero praefectus praetorio erat PAPINIANVS, eumque in Britanniam comitatus, summi ducis partes strenue gessit, a successore Caracalla, ante discessum e Britannia dimissus quidem, sed mox in aulam reuocatus. PAVLVS et VLPIANVS, iurisperitissimi, qui quondam in consilio Papiniani fuerant, ambo ad praefecturam praetorianam vocati, incertum vero, auctore LAMPRID. in Alex. c. 26. vtrum ab Heliogabalo, an ab Alexandro praefecti facti sint. Atque hi haec tenus enumerati praefecti, ciuiles simul et militares administrationes gesserunt. Constantinus M. vero, exauctoratis praetorianis, et diuiso imperio in quatuor praefecturas, ademit praefectis potestatem militarem, et ciuilem tantum reliquit, quod et postea ysu seruatum docent Tit. D. et Cod. de offic. Praef. Praet.

### §. XII.

ANTECESSORES COMITIVAM PRIMI ORDINIS  
EX LEGE MERVERUNT.

Professio iurisprudentiae a prudentibus transferat ad antecessores, qui in tribus scholis publicis, legum nutriti, ad quas ex omnibus orbis Romani partibus iuventus legum cupida confluebat, ius Romanum docebant. Cum Constantinus M. quam plurimis honorum firulos communicare cuperet, idemque tres Comitum gradus fecisset, primi, secundi et tertii ordinis, placebat Theodosio professores, qui in urbe Constantinopolitana docebant, et inter eos iurisperitum Leonium honorare codicillis comitiuae ordinis primi, et generatim fancire, ut in post-

posterum omnes, post viginti annorum stipendia, dignitate eadem perfruerentur, vnde hanc comitiam ex lege mereri dicuntur in *Tit. 21, l. 6. Cod. Theod.* Per hanc comitiam igitur in ordine Spectabilium constituebantur, et quidem in quinto eorum gradu, vt docet *GOTHOFER. ad L. 1, tit. 14, l. 6. Cod. Theod.* Iustinianus vero *Constit. Omniem* inscribit Viris illustribus antecessoribus, eodemque titulo vtitur in §. 3. proem. *Inst.*

His complexus esse mihi videor potiora documenta auctoritatis civilis prudentum apud Romanos, et ultra primam tractationis sectionem hac vice non progredior, quae exponenda restant securis prolusionibus reserans. Hanc vero ipsam in lucem iam emittere visum est, vt inuitarem Honoratissimos Dominos Comimitones ad paelectiones, per semestre aestiuum a me habendas. Constitui explicare binis quotidie horis *Ius Digestorum, ductu Introductionis Bochmeriana*e, coque in negotio ita versabor, vt quo certum magis atque exploratum est, fragmenta veteris prudentiae, in Digestorum libros collecta, esse fundum praecipuum scientiae legitimae, eo magis elaborem atque enitar, vt genuinas auctorum iuris decisiones perspicere detur, et quae in compendio, quod sequor, neruose differuntur, enucleate proponam. Et quoniam leges, quas natura ipsa constituit, sunt fons iuris civilis, explicabo etiam *Ius Naturae* duce *Cl. Achenwallio*, nec deero examina vel disputatoria exercitia desiderantibus. Vos, Ciues ornatissimi, Comimitones suauissimi, officiose rogo, vt conatus meos fauore Vestro subleuetis, et ad magis magisque commodis Vestris inferuendum alacriorem me reddatis.

Helmstadii d. xv. Aprilis.


MDCCLXVII.

ULB Halle  
005 350 883

3



WD1P





D. CAROLI ANTONII KEVFFEL  
HISTORIA  
AVCTORITATIS PRVDENTVM  
APVD ROMANOS

SECTIO I.

PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS AESTIVI

M D C C L X V I I .

PROLVSIONIS INSTAR

P R A E M I S S A

HELMSTADII

IN TYPOGRAPHEO ACADEMICO  
VIDVÆ SCHNORRIÆ